

istam opinionem eadem valent argumenta, quibus *personam* non posse defini *naturam sui consciam* ostendimus¹; quippe quod *τὸ ego* secundum Kantium, aliosque nuperos re ipsa non aliud, nisi *personam*, denotat.

14. Denique Rosminius docuit *τὸ ego* non esse solam animam, uti Cartesius opinatus est, neque solam conscientiam, uti Kantius contendit, sed esse animam, prout conscia sui ipsius est; nam « subiectum humanum tum evadit *ego*, cum per diversas operationes internas suarum facultatum conscientiam sui assequitur² ». At Rosminius duo confudit, quae valde diversa sunt, scilicet id, ex quo *τὸ ego* constituitur, atque id, quo *τὸ ego* cognoscitur. Certe nemo inficiatur *τὸ ego* non posse ad actualem sui cognitionem ante pervenire, quam super operationes suas reflectatur; at nemo etiam non videt *τὸ ego* non posse super operationes suas reflecti, nisi iam existat; proindeque ipsum revera existere, antequam conscientiam sui assequatur. Iam si *τὸ ego* existit, antequam conscium sui fiat, ipsum non potest defini, quemadmodum a Rosminio definitum est, *subiectum, procul sui conscium est*.

CAPVT II.

Quomodo unio animae cum corpore efficiatur, inquiritur

ART. I. Doctrina Aristotelico-Scholastica rationis momentis propugnatur

15. Si exploratum omnibus esse debet animam cum corpore ita coniungi, ut unicam completam substantiam cum eo constituat, valde difficile intellectu est, observante s. Augustino³, quomodo illa unio substantialis efficiatur. Nihilominus Scholastici, Aristotelis, ipsiusque s. Augustini doctrinis adiuti, de modo, quo anima, et corpus unicum compositum substantiale effi-

des scienc. phil., art. *Moi*), Terentius Mamianus inter Italos sectatus est in suo opere, *Il rinnovamento della filos. in Italia*, part. II, c. 4, § 3, et c. 7, § 7, Firenze 1836.

¹ Cf *Ontol.*, *ibid.*, art. 6, p. 50. — ² *Psicol.*, Defin. XIII, § 55.

³ « Modus, ait, quo corporibus adhaerent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est »; *De Civ. Dei*, lib. XXI, c. 10.

ciunt, theoriam concinnarunt, quae cuilibet solidae, et cuiusdam momenti difficultati aditum praecludit. Quae theoria huc redit, quod nempe, sicut quodlibet compositum naturale ex materia, et forma substantiali, ita compositum substantiale, quod homo dicitur, ex corpore, quod se habet sicut materia, et anima rationali, quae est eius forma substantialis, exurgit.

16. Rem ita se habere sequentibus propositionibus a nobis demonstratur:

Prop. 1^a. *In composito humano anima est forma substantialis corporis.*

Probat. Anima, et corpus in homine ita uniantur, ut unam substantiam completam, unamque personam constituent. Atqui id non aliter fieri potest, quam si anima ad corpus, veluti forma substantialis ad materiam, se habeat. Ergo anima est forma substantialis corporis¹.

17. *Minor* demonstratur hoc modo: Unio substantialis, quae efficitur, ut duae res in unam substantiam ex duabus compositam coalescant, expostulat, ut una illarum sit principium, quo esse alterius determinatur, proindeque ut una illarum esse actuale non habeat in se, sed ab altera accipiat; nam si ambae proprium esse actuale haberent, illarum unio foret accidentalis, non vero substantialis. Atqui id, quod esse actuale, sive actum per se non habet, sed ab altero in se recipit, dicitur *materia*; atque illud, quod esse actuale, sive actum dat alteri, dicitur *forma*². Ergo non potest agnosci unitas naturalis, et personalis in homine, quam admittendam esse ostendimus, nisi talis coniunctio inter animam, et corpus agnoscat, ut inter sese veluti forma, et materia sint.

18. Animam autem, non autem corpus, esse formam patet 1^o ex eo, quod corpus ab anima, et non anima a corpore speciem suam sumit³; 2^o ex eo, quod si corpus partem formae, non autem materiae in homine expleret, ipsum foret principium, quo homo vivit; at hoc fieri nequit, quia corpori per se inspecto nec vivere, nec esse principium vivendi convenire potest, alioquin omne corpus oporteret esse vivens, vel principium vitae⁴.

¹ Hoc argumentum adducimus contra illos, qui unionem naturalem, et personalem animae, et corporis, saltem verbo, admittunt.

² Cf *Cosmol.*, c. I, art. 3, p. 97 sqq.

³ *Qq. disp.*, q. un., *De Sp. cr.*, a. 2 c. — ⁴ I, q. LXXV, a. 1 c.

19. Alterum argumentum ex ipsa notione formae substantialis petitur: Re quidem vera, formae substantialis, monente Aquinate¹, duo sunt propria. Primum in eo consistit, quod ipsa rei, cuius est forma, esse substantiale largitur, veluti principium intrinsecum, ex quo res in sua specie constituitur²; alterum, quod a primo fluit, est, quod ex forma substantiali, et ex materia, quae ab illa determinatur ad aliquam rem constituendam, unicum esse substantiale efficitur³. Atqui dubium non est, quin anima erga corpus haec duo munia obeat; namque 1° anima, uti ante vidimus⁴, esse corpori largitur veluti principium, quo res est id, quod est; unde corpus, antequam ab anima informetur, non est corpus humanum, et statim ac anima ab eo separatur, corpus humanum esse desinit. 2° Anima cum corpore unum esse substantiale constituit; namque si ipsa intrinsece esse corporis constituit, necesse est ut una cum corpore unicum esse substantiale efficiat⁵. Ergo nemini dubium esse potest, quin anima cum corpore, veluti forma substantialis cum materia, copuletur.

20. Prop. 2°. *Anima, quae est forma substantialis corporis, non est, nisi anima intellectiva, sive rationalis.*

Probatur contra non paucos, eosque praesertim recentes, qui, ut infra videbimus, pugnant animam, qua corpus vivit, non esse animam intellectivam, sed animam ab hac diversam, quam principium vitale vocant. Forma, ut saepe diximus, speciem, seu naturam cuiusque rei determinat. Atqui natura cuiusque rei ab eius operationibus dignoscitur. Ergo in composito substantiali, quod dicitur homo, forma ea esse debet, quae illius operationibus respondet. Atqui operationes propriae hominis sunt intellectivae, quia per has a ceteris rebus discriminatur. Ergo anima intellectiva est propria hominis forma⁶.

¹ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 68, n. 2. — ² Cf *Cosmol.*, loc. cit., p. 98.

³ *Ibid.*, p. 99. Propter haec duo forma substantialis, quae principium formale rei etiam vocatur, a principio efficiente discriminatur, quia principium efficiens largitur esse rei non ex eo quod compositionem ipsius rei ingreditur, sed ex eo quod rem actione sua producit, atque esse rei non est idem ac esse rei productae, sed ab ipsa omnino distinguitur.

⁴ P. 180.

⁵ « Anima illud esse, in quo subsistit, communicat materiae corporali: ex qua, et anima intellectiva fit unum; ita quod illud esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animae »; I, q. LXXVI, a. 1 ad 5.

⁶ *Op. cit.*, *ibid.*, c.

ART. II. *Nonnulla circa eandem theoriam adnotantur*

21. Ad eius, quam exposuimus, theoriae maiorem explanationem, haec tria mente recolamus oportet:

Horum primum est, animam rationalem non posse informare corpus, prout est rationalis, quia ipsa, prout est rationalis, naturam materiae longe supergreditur. Hinc, cum dicitur animam rationalem esse formam substantialem corporis, hoc intelligendum est, « secundum essentiam animae intellectualis, non tamen secundum operationem intellectualem¹ », quapropter « unio animae ad corpus non pertingit usque ad operationem intellectus² ».

22. Alterum est, animam humanam, secus ac animam beluinam, ita informare corpus, ut per se, et sine corpore existere valeat, sive, ut Scholae aiunt, esse formam substantialem *subsistentem*³. Et sane, si anima humana, secundum quidem suum esse, sed non secundum suam virtutem intelligendi est forma corporis, sequitur aliquas operationes ab ea exerceri sine organis corporeis⁴. Atqui anima humana non posset ullas operationes sine organis corporeis exercere, si esse eius a corpore omnino penderet. Ergo anima humana ita informat corpus, ut per se, et sine corpore existere valeat.

23. Tertium est, quod anima, etsi sit forma corporis, tamen operationes intelligendi exercere potest. « Secundum essentiam quidem suam (*anima intellectiva*) dat esse corpori, secundum potentiam vero proprias operationes efficit⁵ »; nam ipsa cum corpore ita coniungitur, ut per rationem vires eius superet, eisque dominetur⁶. Vicissim, etsi anima natura sua sit intelligens, tamen ad operationes corporis concurrere potest. Etenim ipsa est forma perfectior formis sensitiva, et vegetativa. Atqui quaelibet

¹ *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 7 ad 11. Cf *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 35.

² *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XIII, a. 4 c.

³ Quatenus sit forma substantialis subsistens, explicavimus in *Cosmologia*, c. V, art. 3, p. 131-132.

⁴ « Quamvis esse animae sit quodammodo corporis, non tamen corpus attingit ad esse animae participandum secundum totam suam nobilitatem, et virtutem; et ideo est aliqua operatio animae, in qua non communicat corpus »; *Op. cit.*, *De Anim.*, a. 1 ad 18.

⁵ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 69.

⁶ Cf *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. II, a. 4 ad 4.

forma perfectiones formarum, quae ipsa inferiores sunt, in se continet. Ergo anima humana, cum materiam informat, ei largitur *esse*, quod corpori inanimato convenit, *vegetare*, quo planta super corpus inanimatum extollitur, et *sentire*, quo brutum plantae excellit; nihilque aliud sibi proprium retinet, nisi vim intelligendi, quam cum materia communicare non potest¹. Itaque anima humana, quae secundum essentiam suam est rationalis, ad operationes corporis concurrat non quatenus est rationalis, sed quatenus virtutem, seu facultates vegetativas in se continet. Neque illud omittendum est, animam producere operationes corporis, non prout sunt mere materiales, et corporeae, sed prout *vitales*, ac proinde aliquid simplex, sunt.

ART. III. *Argumenta, quibus Scholasticorum theoria impugnatur, solvuntur*

24. Obiic. 1° Si anima rationalis esset forma substantialis corporis, ipsa cum corpore sese commiseret, ita ut cum eo extenderetur, et divideretur. Atqui id, quod est extensum, et divisibile, est materiale. Ergo Scholasticorum sententia animam humanam materialem facit.

25. Resp. *Neg. mai.; conc. min. Neg. cons.* Et sane illud, quod ab adversariis obiicitur, quod nempe anima foret materialis, si cum corpore commiseretur, iam ab Aquinate adnotatum fuit. « Quae miscentur, ait, oportet ad invicem alterata esse; quod non contingit, nisi in his, quorum est materia eadem² ». At ex eo, quod anima informat corpus, ipsam cum corpore commisceri haud sequitur. Etenim mixtio veri nominis inter substantias iam *actu* constitutas efficitur, ita ut ex ipsis unica fit. Atqui anima non informat corpus iam constitutum, sed materiam omni forma denudatam, atque ex eo, quod hanc materiam informat, *esse* corporis constituit. Ergo anima ex eo, quod corpus informat, cum corpore commisceri dicenda non est. Praeterea, anima cum corpore commiseretur, atque extensa fieret,

¹ « Forma perfectior dat materiae quidquid dabit forma inferior, et adhuc amplius. Unde anima rationalis dat corpori humano quidquid dat anima sensibilis brutis, vegetabilis plantis, et ulterius aliquid »; *Qq. disp.*, q. un. *De An.*, a. 11 c.

² *Contr. Gent.*, lib. II, c. 36, n. 1.

si ex eo, quod corpus informat, *esse* suum amitteret, ac *esse* corporis acquireret. Atqui anima, ut saepe diximus, cum materia informat, non accipit *esse* corporis, sed e contrario *esse* suum cum materia communicat⁴. Ergo anima extensa, et divisibilis non est dicenda eo quod corpus, secundum Scholasticorum doctrinam, informat. Ut id magis perspicuum fiat, memoria revocandum est omnem formam substantialem esse per se aliquid simplex, ac indivisibile², nihilque huic rei obstare, quod ipsa sit extensa in corporibus inanimis, et divisibilis conspiciatur in plantis, ac animalibus imperfectis; quia in illis non est extensa, et divisibilis per se, sed prout concreta est in materia, et in his est divisibilis per accidens³. Iam, si hoc verum est de formis rerum, quae sunt inferiores anima humana, potiori iure verum esse debet de ipsa anima humana, quae non solum non est forma concreta in materia, sed, ob rationis, qua pollet, virtutem, naturam materiae longe supergreditur, operationesque habet, quas sine materiae ope exercet.

26. Neminem vero illud moveat, quod anima nequit *esse* suum cum corpore communicare, nisi unum, idemque cum corpore fiat. Etenim in primis, anima, ut iam adnotavimus, non communicat vim suam intelligendi cum corpore, ac proinde, prout est rationalis, non fit unum, idemque cum corpore⁴. Praeterea, etsi anima, prout corpus informat, *esse* suum cum corpore communicet, tamen ipsa fit unum, idemque cum corpore, non quatenus fit corpus, sive aliquid materiale, sed quatenus efformat corpus animatum, nempe prout est principium, quo materia fit corpus vivum. Iam anima ne hoc quidem modo considerata, quo unum cum corpore est, extensa, et divisibilis dici potest; propterea quod si materia corporis vivi est extensa, et divisibilis, principium, quo ipsa fit corpus vivum, non potest esse, ut diximus, nisi aliquid simplex, et indivisibile⁵.

⁴ Cf p. 184, not. 5.

² Cf *Cosmol.*, c. V, art. 4, p. 134. — ³ Cf *ibid.*, p. 134-135.

⁴ « Quamvis sit unum esse formae et materiae, non tamen oportet, quod materia semper adaequet esse formae: immo quanto forma est nobilior, tanto in suo esse semper excedit materiam »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 68.

⁵ Ex his perspicitur *esse* animae et corporis, quod anima informat, esse idem substantia, sed diversum modo, quippe quod in corpore est velut in subiecto, quod ab anima perficitur, atque in anima, prout est principium, quod corpus perficit. Cf s. Thom., *ibid.*

27. Obiic. 2° Inter animam, et corpus nulla est convenientia. Ergo non potest ex iis una substantia completa constitui, ac proinde anima non se habet ad corpus, uti forma substantialis ad materiam.

28. Resp. *Dist. ant.*, nulla est convenientia *naturae, conc. ant.*, nulla est convenientia *proportionis, neg. ant. Neg. cons.* Sane, forma et materia non sunt duae substantiae, sed partes, seu principia eiusdem substantiae; siquidem forma, ut saepe diximus, est *actus*, et materia est *potentia*. Hinc inter materiam, et formam non expostulatur convenientia *naturae*, quae nempe intercedit inter substantias eiusdem naturae, sed dumtaxat convenientia, quae est inter potentiam, et actum, quaeque dicitur convenientia *proportionis*. Haec igitur convenientia proportionis requiritur, ut anima forma substantialis corporis esse possit ¹. Iam huiusmodi convenientia maxime extat inter animam, et corpus, quippe quod, monente s. Thoma, anima potius ad corpus, quam ad aliam animam, veluti actus ad potentiam comparari potest ². Hinc s. Bonaventura inquit: « Magis est anima unibilis corpori, quam sit una anima unibilis alteri ³ ».

29. Obiic. 3° Si anima esset forma substantialis corporis, tandem existeret, quamdiu cum corpore coniungeretur. Atqui hoc destruit animae immortalitatem. Ergo.

30. Resp. *Neg. mai., conc. min. Neg. cons.* Re quidem vera, anima, ut iam innuimus ⁴, et alibi fusius ostendimus, ita est forma substantialis corporis, ut a corpore non omnino pendeat. Iam natura huiusmodi formae illud expostulat, ut ad coniunctionem cum corpore ordinem semper retineat, non vero ut sine actuali cum corpore coniunctione in suo esse perdurare nequeat ⁵.

ART. IV. Scotistarum sententia expenditur

31. In superioribus articulis diximus animam humanam, cum materiam informat, utpote forma ceteris perfectior, quae harum virtutes in se continet, ei largiri non solum *esse vegetans* et *sentiens*, sed etiam *esse corporis* ⁶; ac proinde informare ma-

¹ Cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. I, q. II, a. 4 ad 3.

² *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 2 ad 10.

³ *In lib. III Sent.*, Dist. I, a. 1, q. I ad arg.

⁴ Pag. 185. — ⁵ I, q. LXXVI, a. 1 ad 6. — ⁶ Pag. 185, et 186.

teriam omni forma denudatam, ita ut ipsa sit illa forma, qua corpus in suo esse corporis constituitur ¹; neque id animae simplicitati obesse ². Qua in re silentio praetereunda non est sententia Scoti. Ipse enim, post Henr. Gandavensem, etsi animam esse formam, qua corpus vivit, seu, ut aiunt, *animatur*, propugnaverit, tamen, secus ac B. Albertus M., s. Thomas, et plerique Scholae Doctores docuerunt, contendit agnoscendam praeterea esse in corpore « formam, qua corpus est corpus, aliam ab illa, qua est animatum ³ ». Hanc formam, qua corpus est corpus, formam *corporeitatis* vocavit, quia constituit corpus in *esse* corporis, antequam constituatur per animam in *esse* viventis.

32. At vero, admissa hac theoria, unio substantialis animae, et corporis, quam Scotus vehementer propugnavit, omnino tolleretur. Et sane, inter rem iam constitutam, atque illud, quod ipsi additur, nonnisi unio accidentaliter esse potest; nam quidquid adicitur rei, quae suum *esse essenziale* iam habet, non aliud praestare potest, quam ut ipsam aliquo modo afficiat, sive, ut Scholae aiunt, *alteret*; unio autem, quae non fit secundum *esse substantiale*, sed secundum *alterationem* eius, est *accidentalis*. Atqui, si secundum illam Scoti theoriam in constitutione hominis anima informaret corpus organicum, nempe materiam, quae *esse corporis* iam habet, anima corpori iam constituto, hoc est corpori, quod suum *esse essenziale* corporis habet, adiceretur. Ergo unio inter ipsam, et corpus non foret, nisi accidentaliter. Itaque in corpore non est admittenda ulla forma corporeitatis, sed anima est unica eius forma substantialis, propterea quod, cum cuiuslibet rei unicum sit *esse substantiale*, forma, quae rei dat *esse substantiale*, una etiam in qualibet re esse debet ⁴, omnesque aliae formae, quae *esse* substantiale adiciuntur, nonnisi accidentales esse possunt ⁵.

33. Cuius rationis vim ipse Scotus sentire videtur, tum quia in rebus inorganicis unam formam substantialem, secundum s. Thomae principia admittit, tum quia ex forma corporeitatis,

¹ Pag. 186. — ² Pag. 187.

³ *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. 3, ad 2.

⁴ Cf *Cosmol.*, c. I, art. 5, p. 101.

⁵ Cf s. Thom., I, q. LXXVI, a. 4.

quam in compositis animatis agnoscit, non quidem corpus determinatum in aliqua specie, sed corpus *genericum* constitui docet. Quod profecto manifestum absurdum est, quia nullum corpus *genericum* reipsa existere potest, quod non sit in aliqua specie determinatum corpus ¹.

ART. V. *Ecclesiae Catholicae doctrina circa unionem animae cum corpore exhibetur*

34. Si de substantiali unione animae cum corpore non cum Philosophis Rationalistis, et Protestantibus, sed cum Catholicis disputetur, praeter momenta rationum, ex divina auctoritate Ecclesiae etiam comprobari ipsa potest. Nam Clemens V in Synodo Oecumenica Viennensi veluti *erroneam, et veritati Catholicae inimicam Fidei* reprobavit « doctrinam omnem, seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis, seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma », haeticumque declaravit, qui assereret « quod anima humana, seu intellectiva, non sit forma corporis humani per se, et essentialiter ² ». Id Leo X confirmavit in Synodo Lateranensi, cum definivit, quod anima intellectiva « vere, per se, et essentialiter humani corporis forma existat ³ ». Secundum utriusque Synodi definitionem, Pius IX in suis ad Episcopum Coloniensem *Litteris* questus est Güntherum, eiusque discipulos laedere in suis libris « catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore, et anima ita absolvatur,

¹ Scoti sententiam nonnulli recentes Philosophi, inter quos Tongiorgi, Ramière, Bottalla, Palmieri, Frédault, propugnant, at immutatam secundum suam de principiis constitutivis corporum sententiam, unde unitatem substantialem in homine diversis rationibus adstruere conantur. Adversus eos apposita opera scripserunt I. Cornoldi, *Comment. in Opusc. D. Thomae De pluralitate formarum*, Bologna 1876; Em. Card. Zigliara, *De mente Concilii Viennensis in definiendo dogmate unionis animae cum corpore*, Romae 1878; Henr. Sauvé, *De l'union substantielle de l'ame, et du corps, Réponse au R. P. Bottalla*, Paris 1878. Vid. etiam quae adversus Tongiorgium disseruimus in *Elem. seu Instit. Phil. Christ.*, vol. III, pars prima, c. II, art. 7, p. 48 sqq. Neapoli 1873-76, ubi etiam solutas invenies obiectiones Henrici Gandavensis, Scoti, necnon illorum recentium, qui horum theoriam secundum atomismi placita propugnant.

² *Clementin.*, *De Summa Trinitate, et Fide Catholica*, tit. 4, c. unic.

³ *Sess. VIII, Can. Apostolici regimini.*

ut anima eaque rationalis sit vera per se, atque immediata corporis forma ⁴ ».

35. Iam hisce definitionibus, uti constat ex Epistola, quam de mandato Pii Papae IX Rmus D. Wladimirus Czacki Domino Eduardo Hautcoeur, Rectori Universitatis Cathol. Insulensis inscripsit ², *docetur unitas substantialis humanae naturae, quae duabus constat substantiis partialibus, corpore nempe, et anima rationali*. Et hoc quidem ad doctrinam theologiam spectat. Quod autem attinet ad controversias, quae non ita pridem ab aliquibus Philosophis *resuscitatae sunt*, scilicet circa principia constituentia corporum, unde unitas illa substantialis diversa ratione ab eis explicatur ³, ipsae *doctrinas mere philosophicas respiciunt, super quibus catholicae Scholae diversas sententias sequuntur ac sequi possunt; quoniam suprema Ecclesiae auctoritas numquam pro altera iudicium tulit, quod alteram excluderet*. At vero, id non impedit, quominus philosophica argumentatione demonstrari possit, sententiam Thomistarum, quam nos amplexi sumus ⁴, quoad unitatem substantialem humanae naturae, cum laudatis Romanorum Pontificum definitionibus potius, quam alias, consentire; scilicet, animam rationalem ita esse formam corporis, ut non solum in specie corporis humani illud constituat, sed etiam ipsum esse corporis ei conferat; non vero, quemadmodum adversarii contendunt, praeter animam rationalem, quae corpus ad speciem corporis humani determinat, aliam formam, sive secundum veteres, sive secundum recentes Scotistas accipiatur ⁵, admittendam esse, ex qua corpus in esse corporis constituatur ⁶.

36. Atque in primis, anima rationalis iis definitionibus traditur esse forma corporis non utcumque, sed forma substantialis eo sensu, quo haec forma a Scholasticis denotatur. Etsi enim vox *substantialis* in ipsis non adhibeatur, tamen aperte indicatur vocibus *vere, per se, essentialiter*. Sane, forma alicuius rei *secundum substantiam*, seu *essentiam* et *per se* dici non potest,

⁴ Vid. *Ephem. La Scienza e la Fede*, vol. XXXIV, p. 268 sqq. Napoli 1857. — ² Vid. *Eph. cit.*, vol. CVII, p. 148 sqq. 1877.

³ Vid. p. 190, not. 1. — ⁴ Vid. 189-190. — ⁵ Vid. *ibid.*

⁶ *Aliam formam* diximus, non vero *aliam animam*; nam de unitate animae in homine controversia inter Catholicos, quemadmodum in Capite quarto ostendimus, existere haud potest.

nisi illud, quod dat esse rei, seu quo res est id quod est. Atqui illud, ex quo res suum esse accipit, dicitur *actus primus*, seu forma substantialis eius; atque illud, quod esse ab alio accipit, dicitur materia prima, seu potentia eius¹. Ergo si anima rationalis, secundum recitatas definitiones, est forma corporis *secundum essentiam et per se*, tenendum est ipsam se habere ad corpus, veluti formam ad materiam, atque actum ad potentiam, sive, ut Scholae aiunt, esse formam substantialem corporis. Certe s. Thomas, qui, nemine diffidente, docuit animam esse formam substantialem corporis, iisdem loquendi modis usus est; siquidem dixit animam esse formam corporis *secundum essentiam animae intellectualis*², eique uniri *per se et immediate*³.

37. Accedit quod Ecclesia Catholica in suis definitionibus, cum aperte et sine ambagibus loquatur, verba in illa significatione usurpat, qua ab omnibus, praesertim a Doctoribus Catholicis, accipiuntur. Quapropter, cum in Concilio Viennensi definiyerit animam esse formam corporis *vere, per se, et essentialiter*, haec verba non alia significatione adhibuit, quam illa, qua ab omnibus tunc temporis accipiebantur. Tempore autem, quo celebratum fuit Concilium, illae voces non nisi *formam substantialem*, prout a Scholasticis docebatur, indicabant. Hinc factum est, ut praefatam definitionem non nisi hoc sensu Doctores Scholarum semper acceperint⁴.

38. Quod si unitas substantialis hominis hoc sibi vult, animam nempe intellectivam esse formam substantialem corporis, consequitur, corpus ex ea non solum in specie corporis humani, sed etiam in *esse* corporis constitui, siquidem forma substantialis in quolibet composito substantiali non nisi una esse potest⁵.

¹ Cf *Cosmol.*, c. I, a. 5, p. 97-98.

² *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 9 ad 11.

³ *Ibid.* ad 18.

⁴ Hoc argumentum fuse evolvit Em. Card. Zigliara, *Op. cit.*, Pars altera, c. II, p. 90 sqq; ubi etiam (capp. III et IV, p. 96 sqq) tum ex libris iam typis impressis, tum ex nuper inventis manuscriptis Petri Ioannis Olivae ostendit, eius errorem, quem Concilium reprobavit, non fuisse, quemadmodum nonnulli recentes contendunt, animarum multiplicationem, quae in Concilio Cōpolitano IV iam damnata fuerat, sed falsam illius scriptoris opinionem circa modum unionis animae intellectivae cum corpore; putabat enim animam intellectivam non *per se*, sed tantum *per partem sensitivam* esse corporis formam. — ⁵ Cf p. 189.

Sane, secundum hanc Aquinatis sententiam, nullo negotio intelligitur animam rationalem esse, uti Romani Pontifices loquuntur, *essentialiter et per se*, seu *immediate* corporis formam; non item secundum sententiam, qua anima rationalis per formam corporeitatis, seu per alia principia, cum corpore coniungi asseritur. Coniunctio enim essentialis animae cum corpore ea est, qua anima unam completam substantiam cum corpore constituit, et coniunctio immediata ea est, qua anima communicat corpori illud, quod *immediatius et intimius* ipsi inest, nempe esse, quod ante omnia cuilibet rei advenire intelligimus¹.

39. Totam hanc rem his Em. Card. Zigliara verbis absolvimus: « In Anthropologia firmissime retinenda est, tum philosophice, tum theologice, unitas substantialis in homine, et absolute est reiiciendus dualismus ipsi unitati oppositus. Sed cum s. Thoma aliisque sapientissimis viris retineo illam unitatem substantialem aliter salvari non posse, quam admittendo animam humanam esse formam substantialem (uti definiit Concilium Viennense), et unicam formam substantialem in homine, uti ratio evidenter infert² ».

CAPVT III.

De consensu inter actiones animae, et motus corporis

40. Dubitari non potest, quin inter cogitationes animae, motusque corporis mirabilis consensio existat, ita ut ex apprehensionibus animae corpus saepe transmutetur, atque transmutationes corporis in animam saepe redundant. Nemo certe non novit, ut multa alia hic praetereamus, illud, quod s. Thomas adnotavit, corpus ex assidua animi meditatione defatigari, et vicissim ex corporis defatigatione animum ita affici, ut ad meditando parum aptus sit³.

41. Recentes Philosophi, quorum plerique animam esse formam substantialem corporis inficiati sunt, consensum inter quasdam cogitationes animi, motionesque corporis *commercium*.

¹ *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 1 c.

² *Op. cit.*, Pars tertia, c. II, n. 204, p. 154.

³ *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXVI, a. 10 c.